

habet, quod non adeò fucata est eorum malitia,  
ut quenquam mediocri iudicio præditum fallat.

Ierem. 10. d. 23.

Artic. 66.

**Annotatio,** Dei est viam hominis dirige-re, nō autem liberi arbitrii. In Bib. 1528.

**Censura,** Tametsi Deus sit primarius viarum nostrarum director, tamen cum gratia Dei vias nostras dirigimus, ut patet ex eodem Ieremias 18. a. 8, & 31. quare falsa est hæc propositio.

Vt illis concedam quod postulant: falsum tamen esse quod dixi, non sequitur. Nam si primarius director est Deus: non est igitur penes liberum arbitrium directio. Alioqui nullum erit ducis & comitis discrimen, dominæ & ancillæ. Cæterū cum Paulus nō volentis esse nec currētis pronuntiet, sed miserentis Dei: secure constituo impie ipsos contra verā piāmque sententiā latrare. Objiciunt, aliquas esse liberi quoque arbitrij partes. Nempe quatenus liberatum est à Dei Spiritu. Dicunt nos vias nostras cum Dei gratia dirigere. Addo amplius, Per Dei gratiā. quia & hoc ipsum, quod gratiam Dei nō reūci-mus, pars gratiæ est. Neq; aliud sonat Ieremias

m. iiiij